

voluerunt. Igitur homines domini de Rapoltstain de presidiis egressi fuerunt eosque comprehenderunt et eorum plus quam centum triginta ad propria perduxerunt. Homines de Horburg¹²³⁾ videntes predam magnam paucosque homines ducentes sine premeditatione predam liberare volentes similiter capiuntur et deducuntur. Anno sequenti cepit dominus de Rapoltstain cives Argentinenses pro viribus inpugnare.

255, 43—47
1289

Anno domini milesimo ducentesimo octogesimo nono rex Romanorum Rûdolphus centum milia hominum peditum congregavit et triginta milia equitum fallerorum. Comitem Montispeligardi¹²⁴⁾ obsedit et tribus septimanis terram Gallicorum cum potencia devastavit. Gallici vero contra eum congregati expellere eum non audebant. In hac expeditione dominus episcopus Argentinensis¹²⁵⁾ CCC milites habebat et C bigas seu currus, qui eis necessaria comportabant¹²⁶⁾. |

fol. 181v

De puero¹²⁷⁾ Rûdolphi regis

(244, 32—34)
1276

Regis Rûdolphi filius puer nondum annorum quinque Rûdolphus nomine ut pater cepit anno domini milesimo ducentesimo septuagesimo sexto in acutis febribus graviter infirmari. Hic in infirmitatibus constitutus nutrici sue noscitur hoc dixisse: Vestes mee debent pro deo pauperibus erogari, ut precibus eorum consequi merear vitam presentem pariter et futuram. Pallium meum, quod de baldichio¹²⁸⁾ factum, detur in clusam, que est prope ecclesiam sancte virginis Margrete, relique vero vestes pueris parvulis tribuantur. Nutrix autem ei respondit: Hoc facere non possum sine consensu et plenaria voluntate regine¹²⁹⁾ matris. Cum autem regina ad puerum visitandi gracia pervenisset, puer memoratus matrem suam reginam supliciter rogavit, ut res suas pro deo pauperibus, ut ipse testamentum fecerat, erogavit. Mater igitur pueri pallium in clusam tradidit memorate. Post hec subito *** w) et sic restitutus est pristinae sanitati.

w) Lücke in der Hs.

¹²³⁾ Horburg bei Colmar, urkd. Horenburgh 1254.

¹²⁴⁾ Graf Reinald von Mömpelgard-Burgund, 1282 Nachfolger Dietrichs von Mömpelgard, Bruder Pfalzgrafs Otto von Burgund.

¹²⁵⁾ Konrad III. von Lichtenberg 1273—1299.

¹²⁶⁾ Zum Feldzug gegen Otto von Burgund vgl. RI S. 485 ff.

¹²⁷⁾ Rudolf, geb. 1271, gest. 1290.

¹²⁸⁾ Goldbrokat. Normierte Form baldakinus, aber zahlreiche graphematische Varianten (vgl. Mittellateinisches Wörterbuch Bd. 1 [1967] Sp. 1320).

¹²⁹⁾ Gertrud, seit 1273 Anna von Hohenberg.